

Præterea in Synodis etiam Provincialibus audiri & dirimi querelas singularium adversus Episcopos. Immo etiam adversus iudices & potentes seculares, qui per Regios exectores compellendi sunt; ut coram Synodo causam dicant, de quibus accusantur. Item convocandas esse Provinciales Synodos ad minus semel singulis annis.

3. Can. IV. Forma celebrandi Concilii præferitur, ut ante Solis ortum omnes ab Ecclesia eliminantur per Ostitarios: deinde ingradientur Episcopi, deinde seorsum Presbyteri, postremo Diaconi: profusisque in commune precibus, Episcopi suis in sedibus ad figuram coronæ dispositis confideant, atque ab eorum tergo Presbyteri quoque sedeant, Diaconi vero stent in conspectu Episcoporum.

4. Can. VI. Postquam expositum fuit trinam in Baptismo immersionem, aut unam & simplicem usu in diversis Ecclesiis approbati, & sacra mysteria in his involvi, ut tamen in uno ritu omnes Hispaniarum Ecclesiæ conveniant, decernit unam fieri deinceps per omnes Hispaniæ Ecclesiæ immersionem, prout sanctus Papa Gregorius a Leandro Hispaniarum Primate consultus eidem consulerat, l. i. epist. 41. & habetur de consecrat. dist. 4. cap. de trina immersione 80. Trinam autem exigunt immersionem can. Apostolorum 49. Tertul. 6. adversus Praxeam cap. 26. Ambr. lib. 6. de Sacram. c. 7. Hieron. adversus Lucifer. Chryl. hom. 24. in Joann. alique veteres Scriptores.

5. Can. IX. Præcepit per omnes Hispanici Regni Ecclesiæ, in pervigilio Paschæ novum ignem & cereum benedici. Hujusce ritus, qui nocte ipsa, quæ Dominicam Paschæ diem antecedit, circiter dimidium noctis solemniterangebatur, merito quoque est apud Albinum Flaccum sive Alcuinum lib. de Div. Officiis, sub tit. de Sabbato sancti Paschæ. Meminerit pariter Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis lib. de Eccles. offic. cap. 118. & Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 30. Rabbanus Maurus lib. 2. de instit. Cleric. cap. 38. Qui omnes auctorem istius ritus commemorant Zosimum Papam. Hoc etiam addunt Alcuinus & Fortunatus Trevirensis, cereo isto Paschali ignem significari columnam, quæ Israelitis post celebratum Paschæ ad transitum rubri maris illuxit ea nocte, qua Pharaonis exercitus aquis ante divisus in pristina redeuntibus est submersus. Præsertim vero cereus iste mysticus Christum refert ex tumulo redivivum profigatæ triumphatiquæ inferni potestatis, ipso fulgente lumine Divinitatem, & cerea humanitatem Redemptoris significantibus, ut iidem etiam Auctores exponunt.

6. Can. XXIII. Non aliter placuit, ut quemadmodum Antistes, ita Presbyteri atque Levites, quos forte infirmitas, aut etatis gravitas in conclavi Episcopi manere non sinit, ut iidem in cellulis suis testes vite habeant, vitamque suam sicut nomine, ita & meritis teneant.

Hinc collige, Presbyteros & Diaconos solitos antiquitus in iidem habitare cum Episcopo ædibus: quæ consuetudo in Gallia quoque viguit, juxta Aurelianensis secundi Concilii can. 9. Nullus Presbyterorum sine permissione Episcopi sui cum secularibus habitare presumat. Quod si fecerit, ab officii communionem pellatur. Ea firmatur præca consuetudo testimonio Augustini in ferm. 22. de communi vita Clericorum, & ferm. 36. ad Presbyteros, ejusque in vita Possidius refert, c. 52. Communi mensa in conclavi cum Presbyteris & Clericis uti solitum Augustinum. His stipulantur duo Concilia sub Pontifice Leone tertio, & Imperatore Carolo Magno habita: in primis Moguntiacum can. 9. sic statuit: In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, observantes Divinæ Scripturæ doctrinam & documenta Sanctorum Patrum: Et nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistrorum eorum composite agere presument in unoquoque Episcopatu. Et ut simul manducant & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit. Vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustris manent, & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis magistris exhibeant. Sub iidem pariter celebratum Concilium Turonicum tertium paria decernit, his verbis: Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopis conversantur, consideravimus, ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno refectuario, quo facilius possint ad Horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua admoneri & doceri: vitium & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur: dimissoque Ecclesiasti-

co officio incipiant indisciplinate vivere, & propriis deservire voluptatibus.

Nec tantum erat Canonicorum ac Presbyterorum vita communis, sed etiam minorum Clericorum, qui in Seminariis instituebantur: ut ex istius Concilii Toletani quarti canone sequenti perspicuum fit.

8. Can. XXIV. Prona est omnis etas ab adolescentia in malum, Prov. 20. Nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atriis commorentur, ut lubricæ etatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrine, & testem vite habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, a Sacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum a criminibus intacta sit, & res eorum ab injuria improborum. Qui autem his præceptis resultaverint, Monasteriis deputentur, ut vagantes animi & superbi seniori regula distringantur.

Concilium generale Lateranense tertium sub Alexandro tertio Pontifice can. 18. jubet, ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus Episcopi curent scholas erigi, in eisque Magistrum constitui, cui beneficiis aliave emolumenta pro victu assignent, a quo Clerici ejusdem Ecclesiæ, & pauperes scholares gratis doceantur. Postremo Concilium Tridentinum sess. 23. c. 18. pleniori circa scholas & Seminaria Ecclesiastica constitutione providit.

9. Can. XXV. Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi, doctrine, semper permans in his. Sciam igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in predicatione & doctrina consistat, atque edificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Huc refertur Osee 4. v. 6. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi. Et Malac. 2. v. 7. Labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Ecclesia magnopere sollicitudinem gerit, ut Clero additi scientiis Ecclesiasticis imbuantur. Ideoque approbat, ut beneficiis ac præbendis provisi ab Ecclesiis suis abfint, ut studiis informetur. Nec minus percipiant suos fructus præbendarum, cap. super specula, de Magistris. Et quod attinet ad Gallicanas Ecclesiæ, Concordatum Bononiense in Concilio ultimo Lateranensi approbatum, in gratiam cujuslibet Clerici propter studia convenienter absentis, sic decernit tit. de collat. s. 1. Et ut liberius studio vacare possit, etiam absens fuerit a Divinis, habeatur pro presente, ita ut nihil perdat. Quem in locum hoc scribit Commentator Rebuffus: Et sic nec distributiones anniversarias, nec aliud adventitium amittere debent, per hoc verbum, nihil perdat. Quod etiam suadet per istum textum, qui fingit eum presentem in Divinis. Tantum enim operatur fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero, l. filio quem pater, ff. de liberis & posthum. l. si filius familias, ff. si cert. petat. c. cum dilectus, & c. ad audientiam, de cler. non resid. Item in Gallia, ex amore scientiæ, multa reservantur præbende tam simplices, quam curatæ, personis graduatis, per pragmaticam sanctionem, atque Concordatum. Denique canon iste Toletanus citatur c. ignorantia mater, dist. 38.

10. Can. XXVI. Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem a Sacerdote suo accipiant: ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam etiam in Divinis Sacramentis Christum offendant: ita ut quando ad Litaniis vel ad Concilium venerint, rationem suo Episcopo reddant, qualiter susceptum officium celebrant; vel baptizant.

Habetur e. quando Presbyteri, dist. 28. Sic etiam Concilium Aurelianense tertium can. ult. Canones suos (inquit) ne ignorare quovisquam, nec dissimulare, id est præterire permittitur. Et Concilium Aurelianense quartum can. 6. Parochiani Clerici a Pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant; ne se ipsi, vel populi, que pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse. Possidius in vita Augustini scribit c. 8. Saegit Augustinus, ut Concilium constitueretur Episcoporum, ab Ordinariis debere ordinandis, vel ordinatis, omnium statuta Sacerdotum in notitiam deferri.

11. Can. XXVIII.

11. Can. XXVIII. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperitur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, si Episcopus est, de manu Episcoporum orarium, anulum & baculum; si Presbyter, orarium & planetam; si Diaconus, orarium, & albam; si Subdiaconus, patenam & calicem; sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, que cum ordinarentur, perceperunt.

Sicut per depositionem vel degradationem non admittitur sacri characteris potestas, ita nec per iteratam ordinationem restituitur. Nulla igitur hic decernitur reordinatio, sed solemnis quedam ceremoniam Sacramento vacua prescribitur in pristinum ministerium restitutionis, ei, qui injuste fuerat exautoratus, seu gradu motus, qualia diversa suppeditat exempla Ecclesiastica antiquitas. Concilium quidem Nicanum in suis Synodicalis ad Aegyptios litteris, eos qui ordinati fuerint a Melitio Lycopolitano Episcopo schismatis auctore, si ad unitatem Ecclesiæ, unde se subtraxerant, revertantur, permittit in Clero persistere, atque acceptorum Ordinum ministeria exequi; hac tamen præmissa conditione, *ἡνολκότερ ἡρωτονησθε βασιμωδίας, dummodo sanctiore manuum impositione confirmati fuerint.* Quo eodem sensu can. 8. Nicanus de Catharis clericis ad Ecclesiam redeuntibus *ἡρωτονησθε ἀπὸ τῶν ἑσῶν ἐν τῷ κληρῷ, ἡμολκότερ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἡνολκότερ.* Verumtamen sacra Ecclesiæ disciplina neque rebaptizationes, neque reordinationes fieri permittit, ut constitutum refert Ambrosius in epist. 78. & 79. in Capuana Synodo sub Siricio Papa; & nominatim allegatur & confirmatur a Concilio Carthageniensi tertio can. 38. his verbis: *Illud autem suggerimus mandatum vobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum.* His consonat Augustinus in libr. 2. contra Epistolam Parmeniani, c. 13. dicens: *Utrumque sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte etiam præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, & si visum est opus esse ut eadem officia gererent que gerebant, non sunt rursus ordinandi: sed sicut baptizatus in eis, ita & ordinatio maneat integra.* Basilii hoc conformatur in epist. 1. ad Amphilochoium cap. 1. in fine, allegatis enim duorum Episcoporum exemplis, qui ab hæreticis consecrationem acceperant, atque ad Pontificum ministerium sine nova ordinatione intra Ecclesiam Catholicam fuerant post ejuratam hæresim admitti: hoc idem concludit circa alios quoscumque ab hæreticis secundum Ecclesiæ ritum ordinatos, si eos judicet Ecclesiæ ministerio idoneos. Idemque ep. 198. dicit novum proterus & horrore dignum esse, quod Eustathius Episcopus etiam manum denuo quibusdam imponere præsumperit; *quam rem (inquit) nemo unquam ex hæreticis facisse videtur.* Patres ergo Nicani, per sanctiorem illam manuum impositionem; & Toletani isti, per hæc instrumentorum & sacrorum insignium ad altare redditionem, non reordinationem invehere intendunt, sed pias ceremonias, per quas suspensis ab exercitio confertur potestas, non quidem valide, sed tantum licite Ordinis posthac exercendi. His accedit Fulbertus Episcopus Carnotensis præclare dicens in epist. 25. quo pacto id in Ecclesia suo tempore fieri solet. *Rebaptizationes (ait) & reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depositum non reordinantur, sed redditis ei suos gradus per instrumenta & vestimenta, que ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum ostiarii in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Novissima autem benedictione letificabis eum sic concludendo: Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus sancti super te descendat, ut sis restitutus in Ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hostias.* His assatum illustratur Canon Toletanus.

12. Can. XXII. Episcopi in protegendis populis ac defendendis impostam sibi a Deo curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt iudices & potestates pauperum oppressores existere, prius eos Sacerdotali admonitione redarguant; & si contempserint emendari, eorum insolentiam Regis auribus intiment; ut quos Sacerdotalis admonitio non flebit, ad justitiam Regalis potestas ab improbitate coercat. Si quis autem Episcoporum neglexerit, Concilio reus erit.

Episcopalis constantiæ adversus Magnatum violentiam & injustitiam illustrata suppeditant exempli S. Nicolai Myræ Antistes in Eustochium Aîæ Procon-

lem, ut in ipsius actis legitur; Athanasius Alexandrinus in Præfectum Libyæ ex Cappadocia oriundum, quem etiam ab eodem communione fidelium præcisum, Basilii Cappadocia Metropolitæ declaravit Cæsariæ a fidelium confortio extorem, ep. 47. ad Athanasium. Idemque Basilii pati virtutis laude Modestum Præsidem coaruit. Nota est Ambrosii erga Justinam Augustam, deinde erga Theodosium magnanimitas, quem ob promiscuam Thessalonicensium tædem ingressu Ecclesiæ prohibuit. Nec minus perfecta est Joannis Chrysoctomi erga Eudoxiam Augustam animi constantia. Synesius etiam Ptolemaidis Episcopus Andronicum Provincie Pentapolitanae præfectum, virum crudelissimum & rapacem, simulque flagitiorum ejus conscium & administrum Thoantem frustra præmonitos & obstatos a cætu fidelium exclusit, atque ad penitentiam demum adegit: ut in suis ipse refert epistolis 57. 58. 72. 89. Nec prætermittendus Augustinus, qui præpotentem Africæ Comitem, ubique singulari necessitudine devinctum Bonifacium excommunicavit, eo quod hominem, qui ad Ecclesiam confugerat, sceleratum & morte dignum, violato loci sacri asylo abstrahi jussisset: ut liquet ex appendice ep. 6. & 7. Idemque Augustinus epist. 159. Marcellinum Africæ præfectum ita compellat: *Quoniam Christiano loquor, maxime in tali causa non arroganter dixerim, audire te Episcopum jubentem convenit, Domine eximie & merito insignis atque charissime fili.* Huc denique pertinet Arelatensis primi Concilii can. 7. *De Præsidibus, qui fideles ad prædicationem profligunt, placuit: ut cum promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas communicatorias: ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur. Et cum ceperint contra disciplinam agere, tum demum a communione excludantur. Similiter & de his, qui rempublicam agere volunt.*

Can. XXXVI. Quicumque Episcopus alterius Episcopi Diocesim (hoc loco nomine Diocesis pars territorii, aut aliqua specialis Ecclesia comprehenditur) per viginti annos sine aliqua interpellatione possiderit, quia secundum jus legis ejus videtur esse Diocesis, admittenda non est contra eum ratio reposcendi, sed hoc intra unam Provinciam, extra vero nullo modo: ne Diocesis defenditor provincialium termini confundantur. His addo can. leg.

13. Can. XXXV. Sicut Diocesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non admittit. Ideoque Basilica, que nova condita fuerint, ad eum procul dubio Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.

Citatur apud Gratianum c. possessio, 16. q. 2. & c. sicut Diocesim 16. q. 3. exemplum fit: Episcopus Bononiensis habet quidem jus patronatus in Ecclesia, quam vel ipse vel ejus majores edificavit in Diocesi Mutinensi: non tamen potest hoc ipso habere jurisdictionem in populum vel Clerum ad eam confluentem, neque illam consecrare, aut Pontificalia intra illam exercere, nisi ex permisso Episcopi Mutinensis, in cujus est territorio. Hoc ipsum sanctus Papa Gregorius sic definit lib. 11. ep. 19. *Lator presentium Joannes frater Coepiscopus noster indicavit nobis, quod quidam Exuperantius Episcopus ausu temerario in Diocesi ipsius oratorium construxerit, idque sine precepti auctoritate contra morem præsumperit dedicare, Missæque illic publicas celebrare non metuit: Quam rem cum summa te celeritate ac distractione convenit emendare, nec ulterius tale aliquid attentare permittas. Non enim licitum est, oratorium aut Ecclesiam edificare sine venia Episcopi, in cujus Diocesi constituitur. Car autem Chalcedonensis Synodi canon 17. & isti Canones Toletani quadragenariæ in rebus Ecclesiæ prescriptionis non meminerint, quam Justinianus introduxit; ratio est, quia Justinianum tempore præcessit Synodus Chalcedonensis; & quia ex lege Alarici Visigothorum Regis, Hispaniarum populi Codicis Theodosiani constitutionibus ab Aniano collectis regebantur. Require superius canonem illum 17. Chalcedonensem, cum ibidem per me annotatis scitu dignis.*

Can. XXXVI. Episcopum per cunctas Dioceses Parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat pro unaquaque Basilica, an reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explorare nequiverit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui & reditus Ecclesiarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirent. Habetur c. Episcopum 10. q. 1.

14. Can. XXXVIII.